

adversus Marcionem cap. 20. S. Cyprianus lib. 1. Testimoniorum cap. 15. Sanctus Augustinus lib. 17. 18. de Civitate Dei cap. 8. Tychonius Regula 4. Theodoretus in Libro 2. Regum, Quaestione 22. Eucherius, & Rabbanus in eundem locum & plerique doctissimi neoterici, quorum agmen merito duxerit nos Hieronymus Pradus in Hagoge ad Ezechielem Sectione 5.

444 Obstupuit David ad tantam, & tam apertam promissionem, atque audito Vate, Tabernaculum confestim ingressus in genua se modestissimus provolvit, gratias pro immenso beneficio peracturus. Quis ego sum, inquit, Domine Deus, & quae domus mea; quia adduxisti me hucusque? Sed hoc parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum. Ita est enim lex Adam, Domine Deus. 2. Regum 7. vers. 18. Et universa superioris vitae recolit divina beneficia, quibus ad summum Israelitici imperii fastigium fuisset promotus; & extremum hoc hand satis admiratur munus, quo sceptrum Dominus Davidicae familiae aeternum devinxisset, dum Mariam augustam, Regemque Christum indidem promissi procreandos. Ad tam excelsum gloriae culmen cum se, suamque stirpem sublatam prospiceret, ad se rursus pristinaeque familiae recurrens conditionem: Quis sum ego, inquit, & quae domus mea? &c.

2. Reg. 7. 18.

David Deipara n. praenovum munus ex sua stirpe procreandam. Rupert.

Ista est enim Lex Adam, Domine Deus. Quasi dicat: Quando vel ipsa nostra domus abjectio, quae pastoricae carae memoriam oculis adhuc recentissimam observat, tantam a Davidis ignobilitate non arceret majestatem, vel communis illa Adami Lex, quae, praeter sordidum fati genus, turpissimam culpam per humanas omnes generationes & conceptiones foedissimè traducit, per se quidem sufficeret, ut non modò Davidicam, sed humanam etiam cognationem exhorresceres. Accedit ad communem hanc rationem, quòd eadem Adami lex, simul cum primigenio illo scelere, ingens complurium aliorum criminum seminum in me maximè derivasse videatur. Etenim David Originario illi innumera congeninare, nunquam non pergit gravissima scelera; quem tu tamen, Tuum, Tuæque Matris atavum dignaris delegisse; atque Obededomi, & Ozæ edocuisse exemplis, quam purus ille ab omni inobedientiae labe sit exiurus, qui vel Tuam purissimam Matrem in suam sit domum excepturus, vel novam ipsi aulam instructurus.

Rupert.

445 Ad hunc fermè sensum Rupertus Abbas lib. 2. Regum cap. 32. Ista est lex Adam, lex uique peccati, sub qua nos omnes ille genuit. Idcirco neque nos, neque alii per nos tua domus esse mereantur; quia nemo nostrum est, qui à sorde sit mundus, &c. Scis quòd originali peccato, actualibusque non caream ego servus tuus. Scio & ego quàm multa recentiores interpretes ad hanc Adami legem hic arguentur; sed hæc Ruperti expositio & ad vulgatam versionem, & ad contextum mihi exactior visa est. Agebatur nimirum de Maria Virgine Matre, à prima inobedientia immuni, deque ejus sanctissimo Filio, ex Davidica familia propagandis: indignum igitur se, suamque stirpem Rex tanta generatione, & conceptione opportunè pronunciat; utpote sordidissima originalis, atque actua-

lium peccatorum illuvie deturpatam, inquit Rupertus.

446 Sed & Pacianus Barcinonensis Episcopus, Marianæ Conceptionis, & Immunitatis cultor religiosissimus, in Parænesi ad Pœnitentiam: Ille quondam gemmis affectus, (David) & purpuris, texti in jejuniò animam suam, cui maria, cui sylva, cui flumina serviebant, promissasque divitias terra parturiens madidus lacrymis consumpsit oculos illos, quibus gloriam Dei viderat, & infelicem se miserunque confessus est Pater Mariae. Emphasi, & epitali plenum est Epithetum hoc, Pater Mariae, significans, Davidem Regem, cum cilicio se ac cinere obvolveret, cum amarissimis vultum lacrymis perfunderet, cum commissa picula primo etiam adscribens peccato, in iniquitatibus se conceptum deseret, ea vel maximè de causa deservisse, quòd peccando indignum se tantà filii progentorem præstitisset; indignissimum videatèr ratus, ut qui tam puram, tam immunem esset progeniturus, tantis se, post primigenium, sceleribus polluisset. His tamen ille fleibus se totum eluebat, his sanctissimis precibus & se, & domum expiabat suam; ut Divinam Arcam non ex inobedientia Ozæ, sed ex Obededomi obedientia venientem, intra pueros posset Lares excipere; quin aut suæ ipsius, aut suorum sordes in Mariae generationem, & Conceptionem perpe-

S. Pacian: Davidis poenitentia, qua se exhiabat, ut ex familia sua, purissima Deipara nasceretur.

447 Jure igitur paterno David Rex, tum proprio, tum Abrahæ nomine Mariam affatur filiam, apud Sanctum Athanasium in Sermone de eadem SS. Deipara: Audi filia Davidis, & Abrahæ, & inclina aurem tuam in preces nostras, & ne obliviscaris populi tui, neque nostri, qui sumus de familia, & domo patris tui. Adami: Parentes enim tui sumus secundam generis prosapiaque rationem: nostraque filia es, quia ex nobis genita es. Tantum ille: qui dum Mariae clementiam implorabat, divinæ misericordiae celestia munera, propter prævisam divinitus Mariam, impetraturam se esse præsidebat; dum autem filiam compellabat, tum Adami, tum Abrahæ, & Davidis, nostræ huic probationi misericè adtipulabatur. Adde illa ejusdem Athanasii in Tractatu de Adventu Christi; Genitus ex Maria Virgine, ex semine sancto, Davidis, Abrahæ, & Adæ, ut scriptum est.

David suam affatur filiam Deiparam. S. Athanasii.

Salomon Rex, naturalis exiit Deipara atavum.

ejus Genealogiam per Nathani genus esse derivandam, omnino assero; etsi negari videam à doctis quibusdam Theologis recentioribus. Certè antiquos Patres id pro comperto aut supposituisse, aut exprellisse legas. Expresse Hilarius Canone 1. in Matthæum, Augustinus libro 83. Quaestionum, Quaestione 65. Ambrosius libro 3. in Lucam, & libro de Benedictionibus Patriarcharum cap. 3. & 4. Hieronymus Jeremiæ 22. Rupertus in Librum 2. Regum, cap. 33. Bernardinus Tomo 1. Serm. 61. cap. 1. & Tom. 3. Serm. de S. Joseph; atque hi quidem, & alii ex Latinis. Ex Græcis verò idem docuit Eusebius Cæsariensis lib. 7. Demonstr. cap. 3. Ephrem. Serm. de Laudibus S. Dei genitricis, Gregorius Theologus in Carmine de Christi Genealogia, Theodoretus Jeremiæ 22. Ezechie- li 21. Andreas Jerosolym. in Encomio 1. de Dormitione SS. Deiparae, Damascenus Oratione 2. de B. Mariae Nativitate, Germanus in Encomio de ejusdem Præsentatione. Quibus subscribunt docti recentiores Joannes Pineda Libro 7. de Salomone cap. 25. Cornelius Genesis 49. & Ezechielis 21. Moralius Matthæi 1. Libro 2. Tractatu 9. & lib. 5. Tractatu 1. Hauserunt certam, ut opinor, sententiam ex efficacissimis sacrae Scripturae testimoniis, in quibus Christus Dominus per Mariam matrem ex Judæ Patriarchæ Ducali sanguine, atque ex paterno Regum Juda semine propagandus prædicitur. Juvat unum, vel alterum indicare locum, in quibus hæc Ducum ac Regum continuata series, & illustris simul Deiparae Virginis successio continetur.

Probatur te- stimonis sacrae Scripturae. Gen. 49. 10.

Christi filius eximia femina prædicatur.

449 Primus locus est, celeberrima illa Jacobi Patriarchæ prædictio, Genesis 49. 10. Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est. Pro eo quod Vulgatus nosse sapienter exultit, qui mittendus est, in exemplari Hebraico unica subest dictio, שִׁילֹה, siloh, vel, siloah, quam Hebræorum Majores in Berosith Rabba interpretantur, donec veniat filius illius, videlicet, eximia Femina; est enim το illius, foemininum pronomen, Matrem Christi D. designans. Hanc interpretationem referunt, & sequuntur David in libro Radicum. Galatinus Lib. 4. de Arcanis cap. 4. Hamerus, & Clarius Genesis 49. quibus adde Leonem Castrum, lib. 3. Apologetici, vertentem, donec veniat domum ei, vel ejus, nempe, magnæ Matris Mariae. Et quidem in eundem sensum recidit hæc versio, ac Vulgata; ut hanc illa explicare, atque illustrare posse videatur. Hoc posito: vaticinatur Jacob sceptrum, ac ducem ex domo Judæ nequaquam fuisse defuturum, donec illustris ea femina, Maria Deipara, ejusque Filius, eorundem Ducum nepotes ejusdemque sceptri successores oriuntur.

Aliorum ex- istimatio.

450 Scio nobiles interpretes arduum Vaticinium sic explicuisse, ut Jacob non de Judæ domo singulari, sed de universo Judaico populo egerit, qui proprio principe, nunc ex hac, nunc ex illa Tribu desumpto, nunquam caruerit, donec Christus Dominus advenit. Existimant hi authores, hæc ratione omnes difficultatum nodos facillè sese expedivisse; cum certum sit, tempore Judicium, Saulis, Regum, Machabæorum, Judaicum populum proprium habuisse principem, quem tamen, his ipsis Ju-

dicum, Regum, & Machabæorum temporibus, ex Judaica Tribu non ita facillè compe- rias. Sed verò dum hi authores ea se difficul- tate expeditos autumant, in aliam incidunt longè graviorem, quòd Jacobi Prophetiam coactà prorsus interpretatione detorquent; nam cum S. Patriarcha proprios singulis filiis prædiceret eventus; quin ab uno ad alterum, præter institutum, diverteret; in hac una intermedia Judæ Benedictione, atque in ipsius- met Benedictionis media periodo, extra cho- rum saltasse dicant, atque ab ipso Juda, qui cum agebat, ad totam digressum fuisse Israe- liticam gentem; quod nec sibi prædicti autho- res, neque cæteris sapientibus persuadent.

Resillitur.

451 Retinenda igitur antiqua Patrum ex- positio, qui continentem, atque perpetuam sceptri, ac Ducum ex Judæ Domo suc- cessionem, usque ad Christum Mariæ filium, præ- dictam fuisse, pronunciant, tamquam ejusdem sceptri ex jure paterno successorem, ut postea explicabo. Hieronymus, quem in exponendis sacris Scripturis Doctorem maximum Ecclesia veneratur, cum sæpius hanc pertractaverit pro- phetiam, in hanc semper explicat sententiam. Ezechielis Cap. 21. quo prædicitur ultimi Regis exilium, Judaicique Regni extrema cla- des, additur v. 7. Et hoc non factum est, do- nec veniret cujus est judicium, & tradam ei.

Retinenda antiqua Patrum ex- positio de continenti sceptri, ac Ducum ex Juda domo successione usque ad Christum Mariæ fi- lium. Ezech. 21.

Quasi dicat: Regia Davidis prosapia, tamet- si tantam iram commerita, haud quamquam ex- cindetur prorsus, donec veniat Christus, quem eidem promissi Davidicæ familiae. Hunc sen- tum ut exprimat ibi Hieronymus, adducit vaticinium Jacobi nuper citatum, quasi ea- dem sit utriusque intelligentia. Quoniam au- tem opponi potuisse cernebat Hieronymus, Hircanum ex tribu Levitica Regium occupas- se Judaicum thronum; respondet, frustra eum coronam sibi imposuisse, cum illi non deberetur. Censet igitur, vivente, ac regnante Hir- cano, Sacerdote, alium fuisse ex tribu Ju- da, cui sceptrum deberetur, juxta Jacobi, & Ezechielis prophetias, prædicentes nun- quam eventurum, ut Dux ex Judæ Domo deesset, cui sceptri proprietates deberetur us- que ad Christi Domini adventum. In eandem sententiam exponit eandem Patriarchæ prophetiam in Commentario cap. 37. Ezechie- lis, & in Psalmum 77. docens illam non de quavis Tribu, sed tantum de Judaica, & Regia esse intelligendam. Item in cap. 5. Osee, & in 2. Michææ, perinde habens do- mum Juda in prophetia Jacobi, ac domum Regiam Davidicam. Nec minus expressus lo- cus est Sophoniæ 1. 8. ad illa verba, Et erit: in die hostiæ Domini visitabo super Principes, & super filios Regis, &c. ad quæ sic scribit Sanctus Doctor: Usque ad illud enim tempus (Christi) perseveraverunt Reges Judæ de stir- pe David; secundum Prophetiam Jacob. Non deficiet Princeps ex Juda, neque Dux de femoribus, ejus donec veniat, cui repositum est.

S. Hieron.

Sopho. 1. 82. S. Hieron. Patrium te- stimonis se- lectiora.

Ejusdem sententiæ est Sanctus Augustinus in Præfatione ad Psalmum 75. ubi ex eadem Jacobi prophetia disertè docet Regum in Tribu Juda usque ad Christum mansisse. Ante Herodem enim omnes de Tribu Ju- da, sed donec veniret, cui repromissum est, præmiserat illa: Consideremus priora tem- pora; & invenietur, quia Judæi de Tri- bu Juda semper Reges habuerunt. Et lib. 2.

S. August.

contra